

dum abducebatur extra castra, extra urbem Ierusalem: Perinde et Iesus passus est extra portam Ebr. XIII, 12. Dehinc ad montem oliueti abducta est iuuenca, ut ibidem iuguletur: vid. *Lünd. l. c. p. 681, 682.* Etiam prope hunc montem inchoauit passio Seruatoris; *Hymno enim dicto* (cum videlicet immineret acerbissima passio) exiuerunt Christus et Discipuli in montem oliuarum Matth. XXVI, 30. *In villam dictam Gethsemane, v. 36. trans torrentem Cedron.* Ioh. XVIII, 1. Iunx haec omnem portauit immunditiam, qua inquinabantur Filii Israel tangendo mortuum: Ita et Christus omnia nostra peccata sustulit Et. LIII. 4. Ioh. I, 29. 1 Pet. II, 24. Fune constringebatur vacca rufa: *Lundius l. c.* Nec minus Christus in passione vincus est. Ioh. XVIII, 12. Matth. XXVII, 2. De sanguine iuuencae sacerdos versus tentorium septenis vicibus alpergere iussus est: Num. XIX, 4. Identidem Christus Sanguinis sui effusionem septies repetiisse legitur: Utpote (1.) in circumcissione, (2.) in sudore sanguineo, (3.) coronatione spinosa, (4.) flagellatione, (5.) exuitione vestimentorum et refractione vulnerum, (6.) crucifixione (7.) lateris perfossione. *vid. §. 2.* Mactata est vacca rufa et quidem super rogum seu struem ligni; aequae ac Christus in ligno crucis pendens mortuus est. Act. V, 30. C. X: 39. Combusta est denique iuuenca, quemadmodum et Christus in sua passione a flagranti DEI Patris ira combustus et exsiccatus est. Haec de vacca rufa ipsum Seruatorem Christum adumbrante.

§. XI.

Iam, quod eius Sanguinem concernit, ex cineribus huius vaccae aqua viua et pura commixtis praeparabatur quasi lixiuium, seu aqua lustralis, verus Sanguinis Christi typus conf. Ebr. IX, 13. 14. pretiosissimam hanc aquam exorat peccatis suis, imprimis latrocinio et adulterio indolescens Dauid, dum la-
men-